

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reipol.
1624.

COLLEGII
DE SACRAMENTIS

Disputatio Prima

De

SACRAMENTI

NOMINE ET DE-

FINITIONE.

Quam

Annunte JEHOVA

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Theol. D. & P. P.

In Collegio privato examinanda

proponit

M. ANDREAS KESLERUS

Coburgo-Francus.

Habebitur die 9. Julij, horis pomeridianis

in Auditorio minori.



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Johannis Gormanni,

ANNO M, DC, XX

3. g. b. 2.



V I R O

*Generis splendore, amplitudine, vitæq;
integritate præcellenti,*

**Dn. LUDOLPHO
TOBINGIO,**

In inclytâ LUNEBURGA PATRICIO
primario, Promotori suo magno

Has de Sacramentis dissertationes

In observantiæ Sacramen-
tum offert

M. ANDREAS KESLERUS
Coburgò Francus

AUTOR & RESPONDENS.

P R O O E M I U M.

QUOD Psalmista Ps. lxxi. de institutis Dei in genere pronunciat: Magna opera ejus, explorata omnibus volentibus ea, illud vel maxime de tremendis religionis mysteriis, Sacramentis nimirum, affirmare & possumus & debemus Humanæ naturæ imbecillitati ut consuleret Deus ter maximus, bona invisibilis gratiæ visibilibus signis voluit exhibere. Et non miremur sapientiæ sublimitatem & Fidei infirmitatem ut ex animo piorum tolleret, verbo sigillatim in immotum consolationis fundamentum voluit appendere. Et non predicemus bonitatis divinæ immensitatem? Magna sunt opera Dei, Sacramenta, bonitate sapientissimâ, magna sapientiâ optimâ. Ut ergo in iis sapientiæ sublimitatem possimus admirari, bonitatis immensitatem predicare, atq; adeo explorata sint hæc Dei magna animis nostris digno Christianis studio doctrinam de Sacramentis repetemus. In quo, ut feliciter versari valeamus, tu ô triune DEUS, mentem & calamus ad veritatis cognitionem salutarem dirigas, inq; veritate cognitâ conserves. Sermo tuus est veritas. Amen. Ut verò distinctè & ordine progrediamur, prima Disputatio tum Sacramenti nomen, in quo 1. etymologia, 2. homonymia, 3. synonymia, tum definitionem exhibebit.

T H E S I S I.

Vox Sacramenti derivatur ab aliquibus à sacro & mens ut dicatur quasi Sacratio mentis, sicut testamentum testatio mentis, quæ allusio vocis est, non vera etymologia. Isidorus eam à sacris ac secretis virtutibus deducit, quæ derivatio specialior est, Varro à re sacra. Nos cum Flacio in Civi à sacrando derivamus, quemadmodum ab ornando ornamentum, fundendo fundamentum. Græcum *μυστήριον*, quod vulgatus interpres Sacramentum solet vertere (nam interdum

mysterij vocem retinet) vel ab Hebræo מִסְתָּרִים quod est la-
 tibulum Ex. 46. à מִסְתָּרִים abscondidit, vel à μυστήριον, quod est
 sacris initio, unde μυστήριον dicitur, Hebræi utuntur vocabulo
 סֵתֶר, quod est Secretum arcanum, ut Chaldei סֵתֶר & סֵתֶר.
 II. Usus vocis Sacramenti est 1. profanus & significat
 2. rem sacram in genere. 2. Iuramentū, & sic vel juramen-
 tum absq; pignore, tūm iuramentum generale, unde phra-
 ses, Sacramentum præstare, recusare, & c. tum speciale,
 nimirum militare, quo milites solenni ritu adstringebantur
 reipubl: vel simul cum pignore, notatq; etiam ipsum pignus,
 seu certam pecuniæ summam apud Iudicem à litigantibus
 depositam. 2. Biblicus. Nam in Latinis Bibliis vel significat
 cultum ipsum ac religionem ut Sap. 12. v. 6. vel religionis ar-
 canum, & quidem vel quodvis Daniel 2, 18. vel speciale, ni-
 mirum arcanum de salutis nostræ negotio Eph. 1, 9. 1. Tim.
 3, 16. Queritur sic, an etiam sumatur in Bibliis pro si-
 gno rei sacræ & arcanae? Affirmat contra Lutherum scri-
 bens Bellarm. l. 1. de Sacram. c. 7. §. Apud hæreticos
 autem ex Daniel. 2. Apoc. 17. 2. Thessal. 2. 2. Ephes. 5.
 quem ultimum locum putat esse efficacissimum. Quo jure,
 videbimus in conflictu. 3. Ecclesiasticus, sumiturq; vel
 pro re sacrata & secretâ, adeoq; divinâ. Sic orare, prædica-
 re & c. sunt Sacramenta Dei, vel pro rei divinæ signo, & sic
 tum significat omne signum rei sacræ vel institutum divi-
 nitus, vel ex Vet. Test. translatum, vel à piis excogitatum,
 tum in specie usurpatur de actionibus divinitus institutis, &
 ceremoniis, in quibus per rem visibilem obsignatur & signi-
 ficatur Evangelica promissio, quæ significatio est hujus loci.
 Et sic vel significat totaliter cum sumitur pro tota ceremo-
 niâ & actione divinitus ad obsignationem promissionis Ev-
 angelicæ institutâ, ut ita finis & substantia concurrant, vel

pat-

partialiter, & significat vel subjectum actionis, constans re terrenâ & cœlesti unitis, vel partem terrenam, quæ signum est gratiæ invisibilis.

III. Queritur hic 1. an etiam in Bibliis inveniatur acceptio illa Sacramenti Ecclesiastica de ceremoniis divinitus institutis? Aff: Bellarm. contra Lutherum l. 1. de Sacram. c. 7. ex Eph. 5, 32. Verum 1. petit Bell. principium, asserendo conjugium esse Sacramentum. 2. Conjugium hic non dicitur Sacramentum, vel mysterium, sed Christi & Ecclesiæ consociatio. 3. Vel sensus est adumbrationem societatis Christi & Ecclesiæ esse mysterium, h. e. religionis arcanū. Neq; enim dicit Apostolus conjugium esse magnum mysterium, sed quod per conjugium adumbratur spiritualis Christi cum Ecclesiæ unio, hoc mysterium magnum asserit.

IV. Cur Ecclesiastica illa vocis Sacramenti significatio sit introducta? Resp. Aut queritur de Iure assumendi, & tum dico assumisse patres vocē Sacramenti propter Christianam libertatem, aut de fine, & tum dico assumtum esse hoc vocabulum 1. ratione nostri propter commoditatem docendi, ut media illa salutis obsignantia uno vocabulo exprimerentur. 2. ratio gentilium propter commoditatē informandi, quippe, qui adsueti erant vocibus mysterij ac Sacramenti. 3. Ratione rerum ipsarum propter convenientiam & analogiam. Videatur Rever. & Excel. Dn. Præses in Prælectionibus de Sacramentis in genere.

V. An Ecclesiasticum hoc nomen retinendum sit? 1. Potest propter rei in sacris contentæ veritatem. 2. Christianam libertatem. 3. Ecclesiæ Exemplum. 4. Aliorum vocabulorum, quæ similiter sunt ἀγία & αὐτὸς copiamur. Debet 1. propter Ecclesiæ consuetudinem. 2. Vocis aptitudinē. 3. Commodioris appellationis absentiam. 4. hereticorum fraudes. Proinde

non curamus vel Photinianorum vel Calvinianorum quorundam affectum huic vocabulo minus equum.

VI. Nominantur Sacramenta à patribus etiam signa, ab aliis $\sigma\phi\epsilon\rho\gamma\iota\delta\epsilon\varsigma$ ex Rom. 4. ab aliis symbola Christianismi, ab aliis tremenda mysteria. Videatur Rever. & Excel. D. Gerhard. tom. 4. L. de Sacramentis c. 2. Q. Utrum Sacramenta miracula dici possint. Resp. Disting. 1. Aut miracula significat omnia ea, quæ sunt supra naturam, aut in specie dicuntur ea, quæ supra nature create cursum fiunt, ita ut res Physicæ mutantur, fiantq; extraordinarie ac raro in certis quibusdã subjectis. Priori modo Sacramentum est miraculũ, posteriori non. 2. Aliud est mirabile, aliud miraculum. Sacramentum mirabile est, non tamen est absolute miraculum.

VII. Hactenus de nomine. Sacramentum definituris dispiciendum est. 1. de definito, utrum nempe Sacramentum possit esse definitum. 2. de definitione ipsa. Queritur ergo utrum Sacramentũ definiiri possit, ad cuius questionis dyudicationem præcognoscendum est. 1. Utrum Sacramentum sint ens rationis. Affirmat citante Bellarm. c. 2. Occam, Major, Richardus & consentit Bell: ipse, ratione significationis ex institutione arbitrariã. Dico hinc nec absolute loquendo Sacramentum esse ens rationis, quia est vera actio, adeoq; est aliquid in rerum naturã citra intellectus operationem, nec ratione significationis, quia 1. sic pendet ab institutione non rationis nostræ, sed intellectus divini. 2. etiam significatio illa est ens realissimum, siquidem significare & obsignare atq; applicare promissiones Evangelicas est realissimus effectus Sacramenti, absq; omni intellectus operatione, quæ ens rationis fabricat. Fundamentum Bellarmini hoc est: Quicquid ex institutione arbitraria pendet, est ens

ens rationis. At inquam lubricum hoc est. Loquimur enim de ente rationis non effective, sed objective, de quo istud fallere facile est iudicatu. Sunt certe signa arbitraria vere signa & entia vera, & tamen tantum ex institutione arbitraria pendent, ut hedera signat, & ut signat, revera ens est, habetq; effectus reales, & pendet tamen ex institutione arbitraria. Consideretur Sacramentum militare, quod certe ex institutione arbitraria pendet, & tamen est ens reale. Quidquid significat præcisâ omni mentis nostræ operatione, illud non potest esse ens rationis respectu significationis. Sacramentum ex institutione divina significat præcisâ omni mentis nostræ operatione, E. Secundum Bellarminum leges positivæ humanæ omnes erunt entia rationis respectu obligationis, quia obligant ex institutione arbitraria. 2. præcognoscendum est, utrum Sacramentum sit ens per se, an per accidens? Affirmat Bell. d. l. posterius, quia 1. significare & sanctificare sint diversorum prædicamentorum nimirum relationis & actionis, proinde non possint unum per se facere. 2. quia ad essentiam Sacramenti pertineat ens reale, & rationis, quod est significatio. Verum 1. Bellarminus sibi contradicit, quando dicit, significare esse in prædicamento relationis. Si significatio est relatio prædicamentalis, est etiam ens reale, adeoque ejus ratione Sacramentum non est ens rationis. 2. Sed significatio non est prædicamentalis, sed transcendentalis relatio, nam signum est modus entis, nulli prædicamento inclusus. 3. Significare & sanctificare sunt attributa Sacramenti, non ipsum Sacramentum. E. posito ipsa esse diversorum prædicamentorum, non licet inferre etiam Sacramentum esse diversorum prædicamentorum. Homini competit erectâ esse figurâ, & visibilem esse, quæ di-

versorum sunt predicamentorum. 4. Nos dicimus accurate
& philosophice loquendo esse ens per accidens, propterea, quia
constat ex diversis actionibus, adeoque est ens per aggregatio-
nem, ita tamen, ut illae actiones debito ordine ad unum con-
stituendum revocentur.

II X. His prae libatis accedimus ad questionem de definitio-
ne Sacramenti, utrum detur. Bellarm. d. c. postquam tres
recensuit opiniones 1. Ockami, Majoris, Richardi ne-
gantium proprie definiri posse Sacramentum. 2. Scoti, qui
imperfecte definiri sensit, ut ens rationis, & unum per se. 3.
Ledesmij qui voluit proprie definiri, distinguit inter consi-
derationem physicam Sacramenti, & morale (melius Theo-
logicam) secundum quam definiri possit, ut secundum prio-
rem proprie definiri nequeat (cum tamen definitio non sit
tribuenda rei propter respectum, sed absolute) Nos ut defini-
tionem Logice perfectam non quaerimus de Sacramento, ita
descriptionem sufficientem pro natura Sacramenti explican-
da non negligimus, quod in rebus Theologicis sufficere potest.

IX. Definitio vero Sacramenti melius constitui nequit,
quam si inquiremus 1. in genus Sacramenti. 2. In requisita
omnibus Sacramentis communia. Genus ergo quod attinet
I. Pontificij constituunt in definitione Sacramenti genus
externum Symbolum, seu elementum, vel rem sensibus sub-
jectam, vel signum, ut videre est apud Bellarm. c. 11. Sed fal-
so, siquidem subjectum Sacramenti nequit esse genus ejus. E-
lementum vero est subjectum, vel ut loquuntur, materia
Sacramenti. Ergo, Ita V. G. donationi genus non est munus,
neque actus alicujus res circa quas versatur. 2. Genus sit in eo-
dem predicamento cum specie. Elementum non est in eo-
dem predicamento. Ergo. **II.** Calviniani plurimi pro ge-
nere venditant signum. Calvin. c. 4. instit. c. 14. exter-
num

num symbolum. Catechesis Palatina signum & sigillum.
Polan. in partit. Sacramentum est signum & c. Bucan. p.
206. Sacramentum est signum, quia significat aliquid,
omne enim Sacramentum signum est, (Atqui pessimum
hoc est fundamentum: Quod alicui convenit, & omnibus sub
eo contentis, est ejus genus. Subsumo Sacramentum efficitur
ab aliquo, & omne Sacramentum est effectum. Ergo effectum
est genus Sacramenti.)

X. Sed enim concedimus Sacramentum esse signum, prout
& A. C. loquitur & quidem 1. quatenus tota ceremonia si-
gnificat & obsignat gratiam & promissionem Evangelicam,
quod finis est Sacramenti. 2. quatenus res terrena significat
& offert rem caelestem sibi unitam: Sed Sacramentum per
signum tanquam per genus definiendum esse negamus. Non
enim genus est, quatenus intelligitur res terrena propter ra-
tionem contra Bellarminum allatam, cui addi potest haec:
Omne genus confuse significat totam rem. Signum ut ele-
mentum visibile denotat, non significat confuse Sacramen-
tum, nec potest predicari in quid de Sacramento. E. Nec si-
gnum est genus priore respectu, propter 1. Scripturam, quae
ad finem refert significationem, & ad officium. 2. rationem
evidentem. Nam 1. genus ac species sunt in eodem predica-
mento. Iam signum non est in predicamento actionis, Sacra-
mentum vero ad actionis predicamentum refertur. E. 2. Nul-
lus modus entis seu attributum entis generale (ut causa, ef-
fectum, principium, subjectum & c.) potest esse genus in de-
finitione entis alicujus particularis. Signum est modus & at-
tributum entis. E. III. Orthodoxi definiunt Sacramen-
tum per actionem sacram & solennem, quia 1. nomina Sa-
cramentorum actiones designant. 2. institutio cujuslibet Sa-
cramenti facta est verbis activis ac passivis, circumcida-
tur,

tur, mactate, baptizare, edite, bibite, 3. tota natura
Sacramenti in usurpatione consistit. 4. quidam ex Calvi-
nians addunt calculum. Ita Ursinus in Explicat. Cate-
ches. p. 397. Sacramenta sunt ritus seu ceremoniæ à
DEO instituta. Trelecius Junior l. 2. Instit. cap. 9.
pag. 141. Sacramentum est actio sacra divinitus insti-
tuta, &c.

XI. Est ergo Sacramenti Genus actio, tanquam forma ge-
neralis (secundum naturam accidentium) quæ limitatur
ac restringitur per objectum, subjectum, finem, &c. quod
non volumus ita intelligi, ac si Sacramentum sit una tan-
tùm actio, sed intelligimus ceremoniam seu ritum actioni-
bus pluribus compositum, diciturq; actio una, quemadmo-
dum plurimum habituum concursus facere potest habitum,
qui certo modo unus dicitur. Est ergo Sacramentum una a-
ctio, quia in eo plures actiones certo modo concurrunt, & u-
num aliquod efficiunt. Addimus, sacra, ut à profanis a-
ctionibus separetur, & solennis, ut ludicra removeantur
ac private, qua private.

XII. Hactenus de genere Sacramenti, tanquam de com-
muniori conceptu. Ad ea descendendum est, quæ genus de-
terminant, adeoq; consideranda sunt specialius requisita
Sacramenti, ex quibus efficiens, subjectum, objectum ac fi-
nis sunt manifesta. Notamus autem prius regulam neces-
sariam ad requisitorum indagationem: Natura ac pro-
prietas Sacramentorum in genere investiganda, &
ex iis Sacramentis, quæ omnium consensu Sacra-
menta sunt. 1. In Scriptura enim de Sacramento in ge-
nere non instruimur expresse, sed de uniuscujusq; naturâ in
specie. Ex singulorum ergo Sacramentorum convenientia
natura Sacramenti haurienda est cognitio. 2. Sacramen-

tum

tum esse genus. Iam genus fit ab intellectu, quando comparat species, in quibus abstrahit naturam communem præscindendo ab iis, quæ huic vel illi speciei peculiariter competunt. Itaque cognoscitur natura Sacramenti in genere, quando, quæ invenimus, in iis quæ sunt Sacramentis communia, præscindimus, relictis iis, quæ cuiusque Sacramenti sunt propria. 3. Id probat Bellarminus cap. 1. l. 1. de pœnit. his verbis: Non malè Kemnitius ex Baptismo & Eucharistia, quæ omnium consensu vera Sacramenta sunt, naturam ac proprietatem Sacramentorum in genere investiganda esse censet. Et sanè qui ex iis, de quibus, nunquam sunt Sacramenta, controvertitur, naturam Sacramenti in genere indagat, petit principium, & dubium per æquum dubium explicat.

XIII. Sunt verò requisita Sacramentorum in duplici differentia. Quædam enim sunt communia, quædam sunt Sacramentis propria. Illa pluribus quàm Sacramentis conveniunt, ut: 1. Omne Sacramentum est à Deo institutum, 2. est efficax organon, per quod Deus cœlestia bona dispensat, 3. est proprium Ecclesiæ, 4. est commune omnibus Ecclesiæ membris, 5. non prodest nisi per fidem, 6. usus ejus non est arbitrarius, sed necessarius secundum scripturam, 7. est nota professionis orthodoxæ, 8. est signum visibile voluntarium rem sacram significans. Et hæc atque hujusmodi habent quidem usum magnum in controversia de numero sacramentorum, hic tamen ea dimittimus solliciti de iis, quæ propriam Sacramenti naturam concernunt. Unde patet, quid de requisitis Sacramentorum sentiendum, quæ profert Bellarm. c. 9. (quanquam ad N. T. restringat) nempe sunt communia partim, partim insufficientia, septimum in super errorem alit de opere operato, sub verbis aliis tolerabilibus: Sanctificatio fit ut vi ipsius Sacramenti.

XIV. *Propria requisita, quæ continent ea, quæ ad essentiam Sacramenti pertinent, ita ut de quocunq; illa dicuntur, illud sit Sacramentum propriè dictum, de quocunq; unum vel alterum negatur, illud Sacramentum non sit, collegit Doct. Chemnitius p. 2. Exam. c. de numero Sacramentorū. Nos docendi ac memoriæ causa sit procedimus: In Sacramento considerata est 1. Institutio, 2. ritus ipse. In hoc attendenda 1. essentia Sacramēti, 2. fructus. In essentia, 1. Materiale, res terrena, & res cœlestis illi unita. 2. Formale, dispensatio. In fructu, 1. promissio, tum quod habeatur, tum quomodo habeatur. 2. bona promissa, ex qua consideratione & regulæ constitui possunt de Sacramenti requisitis, quas breviter proponam.*

XV. 1. Sacramentum est institutum divinitus, ut non ad tempus, sed usq; ad Testamenti finem duret. Ergo si est aliquod Sacramentum V. T. erit perpetuum ad finem usq; T. V. si Sacramentum N. T. durabit ad finem mundi. Unde de baptismo dicitur: ad consummationem seculi Matth. 28. v. 20. De Cœna: Mortem DOMINI annuncietis, donec venerit, 1. Cor. 11. v. 26.

XVI. 2. Sacramentum habet certum visibile elementum. Unde regula: Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Bellarm. pro visibile substituit sensibile, ut septenarium numerum tueri possit, sed in Sacramentis, quæ sunt extra controversiam & exploratò Sacramenta, visibile elementum habetur.

XVII. 3. Sacramentum habet annexam rei terrenæ rem cœlestem, eiq; sacramentaliter unitam, ubi tamen notandum, non esse eandem plane rationem omnium sacramentorum, quoad unionem rei cœlestis cum re terrena, & resultantes inde propositiones. In cœna dicitur, hoc est

est corpus meum adeoq³ panis cum corpore, & corpus cum pane sacramentaliter est unitum, ut possim etiam dicere, panis est corpus CHRISTI. Ejusmodi propositiones in Sacramento baptismi scriptura non proponit. Nullibi namq² dicitur, hoc est Trinitas, vel sanguis CHRISTI, vel aqua est communicatio Trinitatis. Distinguendum proinde fuerit inter rei coelestis praesentiam in Sacramento, & inter specialem cum re terrena unionem, ejusq³ de illa praedicationem. Requiritur in Sacramento res coelestis, annexa elemento, unitas vero in modo non simpliciter asseritur, quia Scriptura hac in parte silet, extra qua^m sapere hac in parte est desperare.

XIIX. 4. Dispensatio rerum sacramentalium habet expressum mandatum seu institutionem divinam. Requiritur ergo 1. ut fiat dispensatio rerum sacramentalium, ut in baptismo fit immersio aquae, qua simul Trinitas sacrosancta gratiam offert, & foedus obsignat, in caena fit distributio panis ac vini, & his mediantibus corporis ac sanguinis Dominici, ut ita extra hunc dispensationis actum nihil habeat rationem Sacramenti, utpote in quo Deus nobis aliquid offert ac distribuit. 2. Ut illa dispensatio habeat expressa institutionis verba, siquidem non sufficit, qualiscunq³ alicujus mandati per obscuras consequentias deductio, patetq³ hoc ex omnibus 4. Sacramentis, de quibus non est controversia.

XX. 5. Sacramentum habet divinam promissionem de gratia DEI, tanquam fructu Sacramenti. Nota 1. alia est promissio gratiae conferendae, alia confirmandae. Ut sit aliquid Sacramentum, requiritur promissio gratiae Dei vel conferendae & confirmandae, vel tum conferendae tum confirmandae. Sic baptismus in infantibus est Sacramentum conferendae gratiae, in adultis confirmandae, caena vero est

SACRA-

*Sacramentum confirmanda. 2. Non opus est ad Sacramen-
tū, ut distincte sint promissio presentie, & promissio gratie,
sed potius 1. promissio presentie includit etiam gratiam,
adeoq; una & eadem promissio ad essentiam & ad fructum
Sacramenti refertur, v.g. in institutione baptismi promitti-
tur gratia Trinitatis in verbis, quibus presentia illius promit-
titur; in cœnæ institutione promittitur gratia iis verbis, qui-
bus communicatio corporis Christi promittitur. 2. & promissio
gratie in verbis de promissione presentie inclusa, alibi ma-
gis explicite proponitur. Ita de bonis in baptismo promissis
passim in scriptura perspicua habentur testimonia, quando
dicitur per baptismum indui Christum, effundi Spiritum
sanctum, accipi in remissionem peccatorum, Galat. 3. v. 27.
Tit. 3. v. 5. Marc. 1. v. 4.*

*XX. 6. Promissio in Sacramento non tantum habet
in verbo testimonium, sed divina ordinatione anne-
xa est signo Sacramenti, & eo quasi vestita. Nam ver-
ba institutionis Sacramentorum simul comprehendunt as-
sertionem, & in ipsa assertione obsignant promissionem Ev-
angelicam, ut ita secundum divinam ordinationem tum
offeratur tum applicetur promissio.*

*XXI. 7. Promissio Sacramenti in specie continet
bona spiritualia, ad salutem pertinentia, adeoq; est
de remissione peccatorum. Sermo est de proprio obje-
cto Sacramenti & sine proprio, qui est remissio peccatorum,
que ipsa etiam nominatim ponitur in cœnæ institutione.
Aliàs si de communibus ac minus principalibus finibus sermo
sit, mutue charitatis vinculum, virtutum Christianarum
augmentum & professio religionis non excluduntur.*

*XXII. 8. Bona promissa in Sacramentis non tan-
tum*

tum annunciantur, & significantur, sed & virtute
& institutione DEI offeruntur, applicantur & ob-
signantur fidelibus. Hinc Rom. 4. circumcisio dicitur si-
gnaculum justitiæ.

XXIII. Sunt verò hæc requisita necessaria ad constituen-
dum Sacramentorum tum definitionem, tum numerum, ut
appareat, qui ritus Sacramentum propriè loquendo dici pos-
sit: usq; omisissis equivocationibus est locus & logomachie.
Si enim generalius sumatur vox Sacramenti, tum etiam a-
lii ritus complures Sacramenta dici possunt, prout quidem
Apologia Aug. Conf. absolutionem verè Sacramentum esse
dicit, quatenus Sacramentum dicitur omnis ritus, qui ha-
bet mandatum Dei, & cui additur etiam promissio gratiæ.
Quid verò requiratur, ut aliquid sit Sacramentum in spe-
cie ac propriissime acceptum, quomodo circumcisio, agnus
Pascualis, baptismus & cœna Sacramenta dicuntur, illud
propositæ, ex collatione Sacramentorum, quæ absq; contro-
versia Sacramenta sunt, deductæ regulæ ostendunt.

XXIV. Pontificij quidem requisita data impugnant, ut
videre est apud Bellarm. l. 1. de Sacram. c. 14. Verum ex
dictis rationes, quas Bellarm. d. l. profert, facile dijudicari
possunt. Calviniani quia communiter negant Sacra-
menta esse causas instrumentales conferendæ gratiæ, vo-
luntq; esse tantum sigilla gratiam jam antè collatam vel
post conferendam significantia, realem item præsentiam cœ-
lestis rei, ejusq; cum re terrenâ unionem reijciunt, etiam re-
quisita nostra ex parte impugnantur, de quorû sententiâ suo
loco dicendum erit.


XXV. Nos ex propositis hanc Sacramenti definitionem col-
ligi

Significatio: Sacramentum est sacra & solennis actio, divinitus instituta & mandata, qua DEUS mediante hominis ministerio per visibile & externum elementum cum re cœlesti mysticè copulatum Evangelicæ gratiæ promissionem omnibus & singulis urgentibus offert, bonaque promissa credentibus, confirmat & obsignat. In qua definitione habemus 1. genus, quod est actio sacra & solennis. 2. Differentiam, in qua proponitur 1. Efficiens, tum instituens Deus, tum instrumentalis, minister, 2. subjectum, quod constat re terrena ac cœlesti unitis mysticè, 3. objectum generale utentes, & speciale fideles, 4. fines, collatio, obsignatio & confirmatio bonorum spiritualium.

XXVI. Ex his de definitionibus Sacramenti Calvinianorum & Pontificiorum iudicium fieri potest. Calviniani, præterquam, quod aliqui falsum genus ponunt, communiter totam essentiam Sacramenti in significatione collocant. Pontificij, errant tum in genere constituendo, tum in fine, de quibus suo loco.

XXVII. Queritur, an definitio Sacramenti univocè conveniat Sacramentis Vet. ac Nov. Testamenti. Bellarm. l. 1. de Sacramentis c. 12. postquam recitabit sententia duas. 1. Lombardi Bonaventuræ & c. statuentium, Sacramenti definitionem convenire Sacramentis V. Testamenti analogicè. 2. Thomæ, Dominici à Soto & c. docentium, definitionem Sacramenti univocè convenire omnibus Sacramentis, quatuor propositiones ponit, quarum ultima est: Illa definitio [Sacrae rei signum] convenit univocè Sacramentis omnibus tum veteribus tum novis. Nos id ipsum de nostrâ definitione pronunciamus, quandoquidem nullum est Sacramentum, cui illa non proprie & univocè conveniat. Bellarminiana verò definitio, Sacramentum est sacrae rei signum, seu, ut hoc explicat, res sensibus subjecta, quæ ex DEI institutione consecrationis cuiusdam tum significandæ tum efficiendæ vim habet, nimis est generalis, & malo ex principio procedit, Sacramenta Vet. Testamenti fuisse signa non efficiendæ sanctitatem & justitiam, sed duntaxat mundiciem legalem.

F I N I S.



Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



REGII
 MENTIS
 Prima
 MENTI
 ET DE
 ONE.
 HOVA
 SIDIO
 IS MEISNERI
 D. & P.P.
examinandam
 nit
 KESLERUS
 Francus.
boris pomeridianis
minori.
 ERGÆ,
nnis Gormenni,
 DC. XX
 3.g.6.g.

